

ARGUMENTUM UNDECIMUM.

Comprobatur firmissime Apparitio B. M. V. de Guadalupe ex his, quae a Summis Pontificibus acta sunt ad cultum ipsius Sanctissimae Virginis de Guadalupe promovendum et augendum.

Validum quidem est argumentum, quod ad Apparitionis Guadalupensis stabiendum veritatem desumitur ex constanti approbatione Episcoporum; at multo firmius ipsa veritas comprobatur ex his, quae a Sanctissimis Domini Nostri Iesu Christi Vicariis acta sunt ad cultum, et honorem B. M. V. de Guadalupe promovendum, et augendum. Quae autem ad id assequendum acta sunt a Summis Pontificibus, ad quatuor capita commode reducuntur: haec sunt capita: 1.º Indulgentiarum concessio, sive confraternitatibus in honorem B. M. V. de Guadalupe canonice institutis, sive quibuscumque fidelibus, qui cultui ipsius Deiparae de Guadalupe operam darent sive in ejus templis, sive alio modo. 2.º Concessio honoris, et praeminentiae Templo Tepeyacensi, in quo ipsa originalis Imago B. M. V. de Guadalupe servatur, et veneratur, vel aliis templis ejusdem B. V. de Guadalupe. 3.º Confirmatio Patronatus Principalis B. M. V. de Guadalupe pro universa Nova Hispania, et concessio festi solemnissimi diei 12 Decembris, atque etiam Officii proprii, et Missae propriae in honorem ipsius B. M. V. de Guadalupe. 4.º Extensio hujus festi, etsi minori solemnitate, extra Nationem Mexicanam.

Nullatenus sperandum omnia et singula hic esse exhibenda, quae a Summis Pontificibus fuerint concessa ad cultum augendum B. M. V. de Guadalupe; nec enim est facile de omnibus notitiam adquirere, quae templis in ejus honorem dicatis in his vel illis locis a Christi Vicariis concessae fuerint. Sufficiat aliqua enarrare, cum hisce in rebus ex auctoritate vis pendeat argumenti; quae

auctoritas maxima est in B. Petri Apostoli Successoribus, qui gratiarum largitione cultum nisi recte exhibatum non foverent. Sequentia ergo attendamus.

Refert P. Florentia quasdam litteras Apostolicas extitisse, quibus confirmabatur, et indulgentiis ditabatur quedam antiquissima Confraternitas in honorem B. M. V. de Guadalupe, erecta in Templo Tepeyacensi; quae non alia esse potest nisi illa, de qua mentionem facit Pro Rex D. Martinus Enriquez anno 1575. Verum haec Confraternitas injuria temporis interiit, ut inquit ipse Florencia. (1)

Anno circiter 1673 vel 74 alia Confraternitas, de Ordinarii auctoritate, in honorem B. M. V. de Guadalupe in Templo Tepeyacensi fuit erecta, eamque anno 1675 indulgentiis ditavit Sanctissimus D. Clemens Papa X; atque inter illas, indulgentiam plenariam perpetuam praedictus Summus Pontifex concessit utriusque sexus Christi fidelibus, in eadem Confraternitate inscriptis, qui templum Tepeyacense visitarent die 12 Decembris, a primis vesperis usque solis occassum. (2) Die autem 12 Decembris Apparitio B. M. V. de Guadalupe in illo Templo celebrabatur.

Idem Summus Pontifex, anno 1675, concessit, ad tempus, ut Altare majus Tepeyacensis Templi, in quo nemo dubitat venerari Sacram Imaginem B. M. V. de Guadalupe, privilegium esset pro defunctorum confratrum animabus feria secunda ejusque hebdomadae, et in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, et per octavam. (3)

Anno 1679 Summus Pontifex Innocentius XI quinque

(1) Florencia, Estrella del Norte de Mexico, cap. 35, núm. 364.

(2) Florencia, Estrella del Norte de México, cap. 35, núm. 364 et 366 et 367.

(3) Florencia. Ib. núm. 369.

concessit plenarias indulgentias Confraternitati in honorem B. M. V. de Guadalupe erectae in Ecclesia Monasterii Maximi franciscanorum in urbe Mexici, quarum una lucrabatur die 12 Decembris, quo die Confraternitas Apparitionem B. M. V. de Guadalupe celebrabat. (1)

Praeclarissimae Sacerdotum Congregationi in honorem B. M. V. de Guadalupe in civitate Queretaro canonice erectae, non semel indulgentiae, et gratiae a Sancta Sede Apostolica fuere concessae.

Anno 1677 Sanctissimus Pontifex Innocentius XI praedictam Congregationem B. M. V. de Guadalupe, in civitate Queretaro existentem, aggregavit Confraternitati Docirinae Christianae Romae existenti, communicatis indulgentiis, et aliis gratiis Confraternitati Romanae concessis. Atque praedictus Summus Pontifex, praeter alias, indulgentiam plenariam Guadalupensi Congregationi concessit, lucrandam die 12 Dicembreis, praevia confessione, et Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum digne suscipiendo. (2) Eo autem die Congregatio Apparitionem B. M. V. de Guadalupe celebrabat.

Anno 1691 Sanctissimus Pontifex Innocentius XII, praeter alias indulgentias, concessit Sacerdotibus saecularibus ejusdem Congregationis Guadalupensis in civitate Queretaro existentis, plenariam indulgentiam pro devota visitatione Templi Guadalupensis die 12 Decembris. (3)

Sanctissimus Pontifex Benedictus XIII Ecclesiam Guadalupensem praedictae Congregationis civitatis Queretaro, Romanae Lateranensi Ecclesiae univit, propterea quod quam plurimis indulgentiis Guadalupense templo civitatis Queretaro ditatum fuit. (4)

(1) Oquendo, Disser. histor. sobre la Aparicion, etc., tom. II, cap. 8, § 1, núm. 606.

(2) Glorias de Querétaro, cap. IX.

(3) Glorias de Querétaro, ib.

(4) Glorias de Querétaro, ib.

Sanctissimus Pontifex Clemens XIV alias concessit indulgentias praedictae Ecclesiae B. M. V. de Guadalupe. (1)

Praeter has indulgentias, plusquam triginta vicibus diversis temporibus eidem Ecclesiae Guadalupensi civitatis Queretaro indulgentias (temporales pro majori parte) Sedes Apostolica concessit. (2)

Summus Pontifex Benedictus XIII anno 1725 litteras dedit de erectione Ecclesiae Collegiatae B. M. V. de Guadalupe ad Tepeyacatl, cum honorabili titulo *Collegiatae Insignis*. Ad hanc dignitatem erat evehenda Ecclesia parochialis B. M. V. de Guadalupe. (3)

Verum e vivis excessit Mexicanus Archipraesul, cui Collegiatae Ecclesiae erectio commitebatur, quapropter aliae, et aliae litterae Apostolicae debuerunt impetrari; at vero praedictae Ecclesiae erectio impediebatur, sive adversa valetudine, sive gravissimis negotiis quibus erat intentus ille cui commitebatur, sive aliis de causis, donec, sedente in Apostolico Solio SS. D. Benedicto XIV, litteras ea de re dedit anno 1746, quibus denique Collegiata Ecclesia B. M. V. de Guadalupe ad Tepeyacatl fuit canonice constituta, (4) eademque usque ad hodiernum diem unica est Ecclesia illa dignitate insignita in universa Mexicana Natione.

Sanctissimus Pontifex Benedictus XIV, anno 1752 Ecclesiae Collegiatae B. M. V. de Guadalupe ad Tepeyacatl altare privilegiatum concessit, "ut quandcumque Sacerdos aliquis saecularis, vel cuiusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti regularis, Missam defunctorum pro anima cujuscumque Christi fidelis, quae Deo in

(1) Glorias de Querétaro, ib.

(2) Glorias de Querétaro, ib.

(3) Oquendo, Disert. histor. sobre la Aparicion, etc., tom.

2, cap. 9, § 1, núm. 672.

(4) Oquendo ubi supra.

charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praefatum altare celebraverit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini nostri Iesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur.” (1)

Idem Santissimus Pontifex Benedictus XIV anno 1754 praedictum altare privilegium rursus confirmavit; atque etiam ipsam Ecclesiam Collegiatam ad Tepeyacatl in honorem B. M. V. de Guadalupe erectam, necnon et Confraternitatem sub titulo et invocatione ejusdem B. V. de Guadalupe ibidem erectam vel erigendam, indulgentias ditavit. Atque etiam Ecclesiae in Summo Tepeyacatl ubi non semel B. Virgo de Guadalupe apparuit, in honorem ejusdem Deiparae de Guadalupe erectae, indulgentias concessit. (2)

Ipse SS. D. Benedictus XIV electionem B. M. V. de Guadalupe in principalem Novae Hispaniae Patronam auctoritate Apostolica confirmavit, necnon et Officium proprium, et Missam propriam in ejus festo celebrari concessit. (3)

Electionem praedictam SS. Christi Vicarius approbavit, “cum omnibus et singulis praerogativis, quae juxta Breviarii Romani rubricas Sanctis Patronis principalibus et Protectoribus competunt,” et indulsit atque manda vit, “ut annua ipsis Beatissimae Virginis Mariae de Gu-

(1) Litteras Apostolicas videre licet apud Oquendo, Disert hist sobre la Aparicion, etc., tomo 2, cap. IX, § 3, et in opere cui titulus: Coleccion de Obras y Opúsculos pertenecientes á la Aparicion, etc., tom. 1 in principio.

(2) Litterae Apostolicae videantur in operibus et in locis modo cit.

(3) V. Lectio VI in Officio approbato B. M. V. de Guadalupe.—Et insuper Litterae Apostolicae videantur in operibus et in locis supra cit.

dalupe festa dies duodecima Decembris in perpetuum sub ritu dupli primae classis cum octava peragatur.” (1)

En aliam concessionem SS. D. Benedicti XIV, in honorem B. M. V. de Guadalupe, quam ita refert Maneirus: (2) P. Franciscus Lopez “hoc eodem pietatis nomine consecrari excogitavit cerea coelestis Agni amuleta, quibus in parte adversa obsignaretur Guadalupana. Rem detulit ad Pontificem, qui cum audiret ingentem consecrandorum numerum ab homine postulatum, renuebat quidem, id causatus, a magna copia ejusmodi sacris imminui reverentiam, et se cavere admodum, ne porcis mitteret margaritas. Cui Lopezius: *Equidem, Beatissime Pater, quidquid alibi fuerit, Mexicanorum causam ago, et nullo mendacii periculo testor in illa Orbis parte maximam iis amuletis venerationem praestari: nam et in aris collocantur, et pio matronarum ornamento sunt, quarum e collo pendunt thecis aureis, aut argenteis inclusa; et nunquam nisi a Sacerdote, nuda hominis manu continguntur.* Conmmovit Pontificis animum illa Novi Orbis religio; quam ut foveret, lubentissime se praestitit orantis voluntati.”

Ipse SS. D. Benedictus XIV officium proprium et Missam propriam B. M. V. de Guadalupe in omnibus dominii Hispaniarum Regi eo tempore subjectis, ritu dupli majori recitare concessit. (3)

Sanctissimus Dominus Benedictus XIV, quoniam causa impetrandi confirmationem Guadalupensis Patronatus, et Officii proprii, et Misae in festo B. M. V. de Guadalupe, Imago Deiparae de Guadalupe quo melius

(1) Litterae Apostolicae videantur in operibus et eorum locis praecit.

(2) De Vitis aliquot mexicanorum. etc. tom. 2, ubi de P. Francisco Lopez, per medium.

(3) Ita constat in Breviario, in proprio Sanctorum qui in Hispania celebrantur, in fine.

fieri potuit depicta, ipsi oblata fuit, eamdem Imaginem misit ad monasterium monialium Visitationis in alma urbe Roma, ut ibi honoraretur debito cultu. (1)

Ecclesia Collegiata B. M. V. de Guadalupe Romanae Ecclesiae Lateranensi unita fuit. (2)

Sanctissimus Dominus Pius VI concessit Missam propriam B. M. V. de Guadalupe, mexicanis concessam, etiam Bononiae dici in solemnitate ejusdem B. Virginis, in quadam Ecclesia S. Joannis Baptiste, in qua altare in honorem B. M. V. de Guadalupe dicatum fuit devotione et diligentia P. Benedicti Velasco, Soc. Jesu, qui fuit unus ex illis, qui decreto Caroli III. Hisp. Regis, mexicanum solum, Patria exules, deserere coacti sunt (3)

Sanctissimus Pontifex Pius VI anno 1785 plenariam indulgentiam in hora mortis lucrandam concessit quibuscumque Christi fidelibus, qui secum detulissent numisma sacrum ex Collegiata Ecclesia Guadalupensi acquisitum. In illis numismatibus insculpta erat Imago B. M. V. de Guadalupe. (4)

(1) Ita refertur in *Dedicatoria* ipsis monialibus libri trium dierum deprecationis B. M. V. de Guadalupe. Quod librum Hispane scriptum, italice translatum est illis monialibus dictum, ac deinde iterum hispane versum est. Quod trium dierum deprecationis librum, hispane translatum, insertum est in opere, cui titulus *Colección de obras y opúsculos pertenecientes á la Aparición*, etc., tom. I.

(2) Prae oculis habetur *Transumptum* Litterarum hujus aggregationis, quae originales servantur in archivo Ecclesiae Collegiatae B. M. V. de Guadalupe. De Transumpti fideliitate certos nos prout de jure facit Secretarius Capituli ejusdem Ecclesiae Collegiatae.

(3) Maneiro, *De vitis aliquod mexicanorum*, etc., tom. 3, in Appendix, ubi de Benedicto Velasco.

(4) Oquendo, *Disert. hist. sobre la Aparición*, etc., tom. 2, cap. 9, § 2, núm. 694.

SS. D. Gregorius XVI in Bulla de dierum festorum reductione, diei 17 Maii anni 1839, suppressis quibusdam ex festis diebus, qui Mexici servabantur, quantum ad festa in honorem B. M. V., sex reliquit, quae deinceps Mexici essent servanda cum obligatione Missam audiendi, et cessandi ab operibus servilibus; atque in illis remanere decrevit, quod jam servabatur festum B. M. V. de Guadalupe; (1) quod ab omnibus libenter observatur, et ex obedientia debita Sanctissimo Christi Vicario, et propter eximum amorem erga ipsam Dei Genitricem, quae, insigni Apparitionis beneficio, praclarissime suam in nos charitatem ostendit.

Sanctissimus Pontifex Pius IX indulgentias concessit confraternitati B. M. V. de Guadalupe, erectae in ejus Ecclesia in civitate Guadalaxara: cui Confraternitati perpetua Sacrae Imaginis de Guadalupe in illa Ecclesia, per diem et per aliquam noctis partem, veneratio incumbit, confratribus alternatim sibi succendentibus, qui Deiparam de Guadalupe venerantur candelas accensas ante ipsam tenentes. Inter illas indulgentias, concessit Summus Pontifex unam saxaginta dierum, lucrandam a confratribus, qui per dimidiae horae spatium, accensam tenentes candelam, venerationi ipsius B. M. V. de Guadalupe operam darent. (2)

Idem Summus Pontifex Pius IX concessit privilegatum esse singulis diebus altare majus ipsius Ecclesiae Guadalupensis civitatis Guadalaxarae, in quo B. M. V. de Guadalupe Imago veneratur. Atque etiam plenariam indulgentiam concessit in eadem Ecclesia lucrandam die 12 uniuscujusque mensis. (3)

(1) Haec Bulla, Hispane translata, habetur post *Annotaciones* P. Arrillaga, Soc. Jesu, ad *Concilium III Mexicanum*, in Appendix.—Typ. ed. M-xici anno 1859.

(2) Ita constat in *Summario indulgentiarum*, quod confratribus datur.

(3) Ita constat in *Summario cit.*

Smus D. Leo XIII Apostolicam Benedictionem populo impertiri concessit die 12 Decembris in B. M. V. de Guadalupe Collegiata Ecclesia ad Tepeyacatl. (1)

ARGUMENTUM DUODECIMUM.

Specialiter pertinens ad illud quod in miraculo Apparitionum permanens fuit.

Judicio peritorum virorum, qui juxta scientiae, et artis leges, Imaginem B. M. V. de Guadalupe inspexerunt, ipsa Imago supernaturaliter depicta fuisse probatur.

Non semel examini, et judicio peritorum hominum subjecta fuit Saera Imago B. M. V. de Guadalupe, ut illi, quid de ipsa Imagine juxta scientiam et conscientiam suam judicarent, ingenue testarentur.

Anno 1666, cum testium interrogatione et dictis procederetur ad Apparitionis B. M. V. de Guadalupe veritatem juridice stabilendam, conveniens visum est ipsam Imaginem a viris peritis inspici, ut horum judicium ad veritatem Apparitionis juridice inquirendam inserviret. Septem ergo pictores electi sunt, scilicet, Presbyter D. Joannes Salguero, D. Thomas Conrado, D. Sebastianus Lopez de Avalos, D. Nicolaus de Fuen Ladrada, D. Nicolaus de Angulo, D. Joannes Sanchez, et D. Alphonsus Zarate. De his testatur P. Florencia quod pictores erant examinati, et approbati, atque multos per annos in sua arte versati publico plausu. Illi ergo, juramento coram judicibus ecclesiasticis prout de jure praestito, praevia diligentia Sanctae Imaginis recognitione, et juxta artis regulas judicantes, unanimiter asseruerunt talem Imaginem

(1) Ita constat in Directorio Ecclesiastico Mexicanae Archidioeceseos: atque etiam illud annuntiant catholici scriptores die 11 Decembris. V. *La Voz de México, El Tiempo.*

in palliolo (*Ayatl*) Joannis Didaci fuisse depictam, opus esse supernaturale, et secretum Divinae Majestati reservatum: "Que el estar en el Ayate ó Tilma del dicho Juan Diego, estampada la dicha Imagen de Nuestra Señora de Guadalupe, fue y se debe atribuir y entender haber sido obra sobrenatural y secreto reservado á la Divina Magestad." (1)

Peritiam horum pictorum etiam testatur Cabrera. (2)

Adsciti quoque fuere Medici tres, Doctorali laurea decorati, et Cathedras obtinentes in Mexicana Universitate, qui, utpote periti in physicis rebus, de Sacrae Imaginis conservatione judicium ferrent. Illi autem, loci adjuncta perpendentes, quoniam Sacra Imago servata est circa ripam lacus de Texcoco, ventis humidis, et callidis afflantibus, et etiam nitro nocente, tam longo temporis spatio, scilicet, centum et triginta et quinque annorum, qui ab Apparitione transierant, juxta naturae leges Imaginem jam destructam fui se, inevitabile dixerunt; et non nisi miraculose per illud tempus illaesa sua forma, et vividis coloribus, in *ayatl* depicta B. M. V. de Guadalupe Imago potuisse permanere. (3)

Si autem Sacrae Imaginis per centum et triginta et quinque annos conservatio, ventis humidis, et callidis, et nitro in contrarium agentibus, peritorum judicio miraculosa dici debuit, opportunum ducimus animadvertere, ut hujus judicii firmitas magis ac magis percipiatur, in illis

(1) Videantur haec fusius apud Florencia, Estrella del Norte de México, cap. 13, § 4, n.º 136. et sequentibus.—Videantur etiam Uribe, Dissert. Histor.-critica sobre la Aparicion de Nuestra Señora de Guadalupe, § XI; et Tornel, La Aparicion de Nuestra Señora de Guadalupe, tom. I, cap. XI.

(2) Escudo de armas de México, lib. 3, cap. 12, n.º 619.

(3) Videatur hoc fusius apud Florencia, opere et cap. cit. § 5.—Videantur etiam Cabrera, opere, lib. et cap. cit., n.º 620, et Tornel opere et cap. cit.